

**Benedictae Et Adorandae Trinitati UniSoli, vero, omnipotenti Deo. Patri, Filio,  
Spiritu Sancto Unius eiusdemque Substantiae vel essentiae Personis Sacrum.  
Ipso Solemni die S.S. Trinitatis**

Rostochii: Kielenberg, 1681

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74250493X>

Druck Freier  Zugang









J. 512.

—

1681. Trinit.

~~M 1256~~<sup>34.</sup>



BENEDICTÆ ET ADO-  
RANDÆ TRINITATI

Uni Soli, vero, omnipotenti DEO.

PATRI, FILIO,  
SPIRITUI SANCTO

Unius ejusdemque Substantiæ  
vel essentiæ Personis

SACRUM.

pro Solemnie S. S. TRINITATIS.

publicè Anno M. DC. LXXXI. propositum



AUGUSTO VARENIO, D.

Collegii Theolog: Seniore, & h. t. Aca-  
demie Rostoch: Rectore.

I. Joh. V. 7.

Tres sunt qui testantur in celo. PATER, VERBUM & SPIRITUS S. Et hi TRES,  
UNUM sunt. Matth. XXII. 19. Baptizantes eos in NOMINE PATRIS &  
FILII, & SPIRITUS S

Johann. III. 5. II.

Respondit Jesus: Amen, Amen, dico tibi, nisi quis fuerit genitus ex aqua,  
& Spiritu, non potest introire in regnum DEI.

Amen, Amen, Dico tibi, quod scimus loquimur, & quod vidimus,  
testamur, sed testimonium nostrum non recipitis.

Num. VI.

23. Sic benedicitote Filiis Israelis

24. Benedicat tibi JEHOVA & custodiat Te.

25. Faciat Jehova, ut luceat facies sua tibi, & gratiam faciat tibi.

26. Attollat JEHOVA faciem suam erga Te, & ponat Tibi pacem.

Rostochii, Typis Viduæ B. Kielenberg, Acad. Typogr.

M. 1256<sup>34</sup>



**Q**uanto eminentior immensissima Deitatis, illius Spiritus Spirituum Dei, seu essentia unius, tribus autem in una illa Deitate gloriosissimis Personis distincti Numinis Majestas est, quantoque sublimiora sunt, quæ ab illa inseparabili Majestate S. S. TRINITATIS derivantur in genus humanum beneficia, tanto humiliore reverentia, puriore meditatione, venerabundo quodam timore, adorabunda admiratione, sanctoque tremore Majestatem illam S. S. TRINITATIS, magni illius & omnipotentis cœli NUMINIS, cum temper, tum, præcipue in hoc solenni S. S. TRINITATIS considerare nos decet, ad quam ipsi præcellissimi Spiritus Seraphini, fulgorem gloriosissima præsentia divinæ intueri parum sustinentes, velata alis facie, *incensabili voce proclamant: SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS DOMINUS DEUS ZEBAOth.* Pleni sunt cœli & terra Majestatis gloria ejus: tantoque majore veneratione, sacro quodam metu concussos infinitæque illius gloriosissimi Numinis majestate quasi absorptos, celebrare decet illum, *quem Prophetarum laudabilis numerus, quem gloriosus Apostolorum Chorus, quem Martyrum candidatus laudat exercitus.* Neque verò pro Regulâ fidei in hoc mysterio sive provocandum nobis (prout calumniosè olim objecit Blandrata in colloquio Albæ Jul. pag. 6. & in Josiâ novi fœderis Zvvikkerus pag. 26.) ad somnium *Ignatii*, sive (cum Baronio ad a. Christi 132. & 233.) ad epistolam sive decretalem *Alexandri*, sive ad visionem nocturnam *Mariæ & Johannis, Gregorii Thaumaturgi*, sive (cum Cornæo, aliisque illius familiæ Jesuiticæ Sociis) ad Regulam traditionalem, ac si tanti mysterii plenam fidem præstare non possint solæ Scripturæ Canonicae, sive ad obscuriora quædam quorundam veterum scriptorum, salvo Catholico sensu, in suppositione terminorum, sive vocabulorum aliquando variantium, duriusculè dicta, quomodo Tertulianus: *Tres, inquit, sunt non statu, sed gradu, Tres formæ vel species, non potestate, unius autem substantiæ, unius ad eodè status, & potestatis, quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ, & species* (statum scilicet intellexit essentialem, per gradus, formas, species autem, notiones, proprietates & quædam illos sive modos habendi personales) imo Sæculo adhuc 4. Hieronymus, licet apertè profiteretur in Deo unam essentiam, tres personas subsistentes perfectas, coæquales, coeternas, & sic verèndissimam quædam Trinitatem, tres tamen hypostases in Deo taceri maluit, & unam teneri. *Qui, inquit, quæso, ista Apostoli prodidit? Quis novum Magister gentium Paulus has decuit? tota secularium literarum*  
Schola



*Schola nihil aliud hypostasim, nisi vōtas novit:* quia ergo metue-  
 bat Hieronymus, ne quod factum in concilio Sardicensi, ubi tres in Deo  
 hypostases asserere, tribuitur hæreticis, unam Catholicis (vid: Theo-  
 doretus l. 2. hist. c. 8.) per tres *hypostases* sub nomine *pietatis tres asse-*  
*rerentur in Deo vōtas*, sive naturæ, & sic Catholici videri possint ab  
 Ario *solis parietibus separati, perfidiâ autem cum eo copulati*, & illa  
 scripsit consultor Damasi ep. 57. & duriuscula cetera ex sensu emollienda,  
*Mibi credite, venenum sub melle latet: transfiguravit se Angelus Sava-*  
*ne in Angelum lucis. Taccantar, si placet, tres hypostases, & una te-*  
*neatur.* Ita cum Hilarius, & Augustinus non abnuerent ( termino *sub-*  
*stantia* personaliter accepto) in Deo asserere *tres substantias*, Hierony-  
 mus verius, *per substantiam ipsam naturam* intelligens, sive *subsisten-*  
*tem in tribus personis Deitatem*, & *quis*, inquit ore *Sacrilego in Deo*  
*tres substantias prædicabit?* Abunde satis aquarum est illi flumini,  
 cujus rivi lætificant habitacula Dei excelsi, ut opus haud sit ex canali  
 Traditionis, vel antiquitatis aquam inferre in civitatem Dei. Quid e-  
 nim pro Majestate tanti Mysterii, augustâ magis, rotundâque brevita-  
 te, plenius, clariusve dici poterat, quàm quod à JOHANNÈ 1. Ep. c. 5. 7.  
 pronunciat: *Tres sunt, qui testificantur in cœlo, PATER, VERBUM,*  
*& SPIRITUS S. ETHI TRES UNUM SUNT.* Licet enim de verbis illis,  
 utrum verè sint pars scripturæ canonicæ, & æque Johannis Evangeli-  
 stæ, ac illa quæ sequuntur de 3. testibus in terrâ, dubium aliquando exti-  
 tisse, prolixo sermone contenderit Erasmus, notis in h. l. & prout in co-  
 dice Syriaco & Arabico hodiernum defunt, ita in aliquibus Græcis  
 exemplaribus olim aliquando defuerint, semper tamen in longè pluri-  
 mis, probatisque codicibus Græcis obtinuerunt, neque his sunt à Catho-  
 licis illata: sed, quia maximè obstabant Hæresi Arianae & Photini-  
 anaë, ab his potius hæreticis in particularibus quibusdam codicibus sunt  
 erasa, & à Catholicis ex Antiquorum fide in his, ubi perfidia Hære-  
 tica (circa Constantii circiter & Valentis tempora) eraserat, sunt re-  
 stituta. Neque enim quod in Alba Juliano Blandrata objecit, *Solus Hiero-*  
*onymus*, in prologo Epistolæ Canonicarum hoc de tribus in cælo te-  
 stibus divinum testimonium sic legit, sed & longè ante Hieronymum  
 Cyprianus, qui libro de unitate Ecclesiæ p. 151. confert hunc locum cum  
 parallelo Joh. X. v. 30. *Dicit Dominus, ego & Pater UNUM sumus, &*  
*aterum de Patre Filio, & Spiritus S. scriptum est 1. Joh. V. 7. & hi tres*  
*UNUM sunt*) & in vetusta, quæ sub Higinii Episcopi Rom; seculo 2.  
 nomi-



nomine fertur, prima epistola sic habetur: **JOHANNES** Evangelista ad  
**Parthos** scribens sic ait: *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cæ-  
lo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* Allegat  
quoque Athanasius libro 1. ad Theoph: *de unita Deitate Trinitatis,*  
Autor disputationis Athanasii cum Ario habitæ in Nicæna Synodo.  
Idacius Clarus Episcopus Hisp: adversus Varimundum Arianum (vid.  
Bibl. Patrum tom 4. editum 2.) Fulgentius in libro contra objectiones Ari-  
anorum, Eugenius Carthaginensis in Explic: fid. Cathol. Ac licet illa  
verba: *& hi tres unum sunt* (quæ hodie non sine periculo in vulgatâ  
Latinâ ex ævoleguntur addita tribus Testibus in terra, ac tribus testi-  
bus in cælo, ut si hæreticis expromptum sit, ex suppositione illorum in v.  
8. inferre ad parem suppositionem in v. 7.) olim defuerint in latinis  
codd. tamen non nisi, ubi sermo sit *de Spiritu, aqua, & sanguine, &*  
agnovit quondam Bellarminus ipse, *Græcos codices hic differenter legere,*  
*& Arianos fortius, vulgatâ latinâ constringere.* Nam, inquit, *de*  
*Patre, Verbo, & Spiritu S. dicunt* *ὁ υἱὸς οἱ πατὴρ ἐν εἰσι, sive, & hi*  
*tres UNUM sunt: de spiritu, aquâ & sanguine: ὁ υἱὸς οἱ πνεῦμα ἐν τῷ υἱῷ,*  
*& hi tres in unum sunt, ubi, inquit, aperte vides non esse unum, spi-*  
*ritum, Aquam, & sanguinem, sed solùm conspirare in unum testimo-*  
*nium* lib. I. de Christo c. 6. Sed vel maxime testis magnificentissimus  
S. S. Trinitatis, lavacrum regenerationis, sive baptismus est, cùm CAPI-  
TIS idem ad Jordanis aqvas, tum membrorum; Equidem utrum Chri-  
sto ipsi Baptismus fuerit lavacrum regenerationis, concordia discors vi-  
debatur inter Ambrosium & Chryostomum. Ita enim ille lib. 3. de  
Spiritu S. c. II. *Ipsè Dominus Jesus de Spiritu S. & natus est, & renatus*  
*quem si natum de Spiritu S. confitemini, quia non potestis negare, re-*  
*natum autem negatis, magnâ insipientiâ, quod singulare Dei est con-*  
*fitemini, quod commune est hominum, denegatis.* Chryostom: autem  
homil. 25. in 3. c. Johan. ad verba illa. *Quod natum est ex Spiritu, Spi-*  
*ritus est. Nativitatem hoc loco non secundum Substantiam: sed secun-*  
*dum honorem, & gratiam intelligit. Quod si filius hoc pacto natu-*  
*est, quid in eo præ ceteris hominibus, qui ita nati sunt excellentius*  
*invenietur? Quomodo est unigenitus? Etenim ego ex Deo natus sum,*  
*sed non ex ejus substantiâ, quod si neque ipse ex substantiâ, quid differt*  
*à nobis? Fortasse autem hoc pacto minor Spiritu invenietur: Nam hujus-*  
*modi generatio ex Spiritu gratiâ facta est; numquid igitur, ut sit fi-*  
*lius, Spiritus indiget auxilio? Hæc Judaica fuit doctrina.* Cete-  
rùm



rām eundem Baptismum capitis & membrorum ( Ephes. 4. v. 5. ) quē  
 Christus dum sumsit , ad regenerationem & justificationem peccatoris  
 sanctificavit , non negaverit Chrysoſt : Christum ipſum in illo Bap-  
 tismo ſic regentem , ut per talem Baptismum regenerantem negetur  
 ejus nativitas æterna ex Patris ſubſtantia , & non alia ipſi aſſeratur na-  
 tivitas , quā , quæ piis in commune , ſive *ex honore & gratiā* , non af-  
 firmaverit unquam Ambroſius . Sed redimus ad Jordanem . Ubi Pa-  
 ter in voce : *Hic eſt filius meus dilectus . Filius Unigenitus , in carne ,*  
*Spiritus S. descendens , & Christo inſidens , in viſibili columba ſpecie lu-*  
*culentiſſimum præſtant S. S. TRINITATIS in Deitate argumentum , juxta*  
*illud veterum : Comitare Johannē ad Jordanem , & videbis .* Atq; illa Per-  
 ſonarum in unitate Trinitas , & naturæ divinæ in illā glorioſiſſimā Trini-  
 tate unitas , non minus in ipſā formulā baptiſmali Matth. 28. 19. remon-  
 ſtratur , velut in quā mentio unius Nominis essentialis , unius ad e-  
 Deitatis , quæque in hac fundatur , indiviſibilis Majestatis & nihilo-  
 minus Trium perſonarum , PATRIS , FILII , & SPIRITUS S. Graviter Ambroſius lib. 1. de S. S. c. 10. *Quis poteſt à Patre , & Filio*  
*Spiritum S. ſeparare , cum vel appellare Patrem & Filium ſine Spiritu*  
*S. non queamus : Nemo enim poteſt dicere Dominum Jeſum , niſi per*  
*Spiritum S. 1. Corinth. XII. 3. Si non appellare , ergo nec prædicare .*  
*& libr. 1. c. 14. Quis unitatem ſeparare audeat Nominis , cum videat*  
*unitatem operationis , cum divinæ vocis teſtimonium evidens ſit , unum*  
*eſſe nomen PATRIS , FILII , & SPIRITUS S. In NOMINE , dixit ,*  
*non in NOMINIBUS , quia non duo , non tres Dei , ſed unus Deus eſt ;*  
*non aliud Nomen PATRIS , aliud Filii , aliud Spiritus S. Cumque*  
*ὁ Θεὸς Θεοὶ ἴσων* Baptismum non voluerit eſſe nudum ſpectacu-  
 lum , ſed hunc conſtare certā formulā verborum , unde hanc præſum-  
 tam Apoſtoliſ credendum , quā ex hoc *& mandati , & ordinatio-*  
*nis Sacramentalis* verbo , ut ſic Apoſtoli exinde , quod in actis legantur ,  
*baptizaffe in nomen Jeſu , ſive in nomen Domini* Act. II. v. 38.  
 c. X. 48. nequaquam *in nomine ſolius Chriſti* ( etſi talem baptis-  
 mum quoque ratum agnovit *Stephanus Romanus* , cui tamen con-  
 tradixit in Epistolā ad Iubajanum *Cyprianus* ) ſint præjudicandi , ſed  
 ex hac baptiſmali formulā cum expreſſā diſtinctaque mentione *Patris ,*  
*& Filii , & Spiritus S.* baptizaffe ſint intelligendi . Apertè Juſtinus  
 Scriptorum Eccleſiaſticorum Antiquiſſimus in orat. ad Antoninum Pi-  
 um Imperator. *Ex Apoſtolicā* , inquit , *inſtitutione , in Baptisma-*  
*te , Parentis omnium , & DOMINI DEI nomen nominatur , &*  
adulto



paulò post, in nomine etiam Jesu Christi crucifixi sub Pontio Pila-  
 to, atque in nomine Spiritus, qui per sacros Prophetas pronun-  
 ciavit res Christi omnes, abluatur is, qui illuminatur & Cyprian:  
 Epist. alleg. JESU CHRISTI mentionem facit Petrus, non  
 quasi Pater omitteretur, sed ut Patri quoque Filius adjungere-  
 tur. Manet adeo invicta illatio, Ille in cujus nomine baptismus est  
 administrandus, est verus & naturâ DEUS. Atque Pater & Filius  
 & Spiritus S. tres Personæ, sunt ille, in cujus nomine baptismus est  
 administrandus, & jam inde ab Apostolis administratus. E. Pa-  
 ter, Filius, & Spiritus S. sunt verus & unus ille natura Deus, se-  
 ve, prout Moses appellat, יהוה אלהים Sanè, nec baptismum  
 Johannis fuisse sine & illustri revelatione & clarissimâ Professione  
 S. S. TRINITATIS, ex superioribus constat; æquè ac non nisi in  
 nomine S. S. TRINITATIS administratum, quâcunque tan-  
 dem formulâ, Spiritus Sancti (quo plenus erat) instinctu, Anteces-  
 sori illi Messîæ in ipsâ vocatione, quam à S. S. Trinitate habuit (conf.  
 Luc. III. v. 2. Joh. I. 32. 33. Matth. XXI. 25.) per *Ἰερωσύαν* dictata,  
 postquam autem à Salvatore *ascensuro in altissima, & sessuro ad dex-  
 tram DEI*, in ipsâ Baptismi Catholici formulari Regula præscri-  
 ptum per Amanuensem Spiritus S. est, ut administraturus hoc  
 Sacramentum, baptizet (sive infantem sive Adultum) in *expresso  
 Nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti*, omnino à nullius ministri  
 sive temeritate, sive æquipollentiæ præsumptione corrigendum in ipsâ  
 verborum formulâ erat, quod Christus in quo *erant omnes Thesauri  
 sapientia & cognitionis Dei*, ordinarat; cum ille suæ ordinationis ex-  
 pressæque in illâ ac distinctæ personarum S. S. Trinitatis rationes  
 longè gravissimas habuerit, quas vel ipsa facile Consultori suggerit  
 nostræ salutis per *beneficia omnium personarum*, quæ in baptismo  
 offeruntur & applicantur, oeconomia: Deus PATER, quippe, per Ba-  
 ptismum nos *eripit ex potestate tenebrarum, & transfert in regnum  
 Filii sui dilecti*, Coloss. I. v. 12. 13. & *dat nobis sublimem illam ac ma-  
 gnificam adoptionis & filiorum DEI gloriam*, sive illam *ἐξουσίαν* (vel  
 שׁוֹרֵטְנִי, prout pulchrè Syrus expressit, ut velut ex DEO geniti, *fi-  
 mus DEI filii*, Joh. I. 12. 13. ad quam excellentiam attonitus Apo-  
 stolorum Jesu dilectissimus; *videte*, inquit, *qualem charitatem nobis  
 dederit Pater, ut Filii Dei vocemur*, I. Joh. III. 1. Filius *θεοῦ γενόμενος*  
 per baptismum pretioso suo sanguine nos à peccatis lavat, & facit  
 nos Reges & sacerdotes Deo & Patri suo, dum sic in ipso habemus  
 redem-



redemptionem per sanguinem ipsius, nempe remissionem peccatorum  
suaque nos morti, & resurrectioni per baptismum interit, velut,  
testis ille fides per aquam & sanguinem, ac primogenitus ex mortuis  
Coloss. I. v. 14. Apoc. I. 5. Spiritus S. autem in Baptismo nos regene-  
rat, sanctificat, illuminat, confirmat, promissiones divinas in cor-  
dibus nostris obsignat, velut divinae promissionis, & illius, quæ nobis  
in coelis servatur immarcescibilis hæreditatis arrhabo, & gaudii spiritua-  
li Autor, sic ut in Jesum, etsi nondum visum, credentes, exultemus  
gaudio & gloria & reportemus mercedem fidei nostræ, salutem anie-  
marum, 2. Corinth. I. 22. Eph. I. 14. 30. Rom. XIV. 17. 1. Petr. I. 8. 9. Atque  
inde illud Nicodemo Principi Judæorum, sectæ Pharisæo, à Servatore ac-  
clamatum: *Quod natum est ex Spiritu, Spiritus est, & paulò post:*  
*ita est omnis, qui genitus est ex Spiritu:* Johann. III. 6. 8. Aperuerat an-  
no proximè tunc antecedente, solemnem in Judæa Baptismum ac e-  
jus necessitatem ad salutem æternam prædicaverat Johannes ὁ βαπτιστής,  
potentique suo præconio sic omnium ordinum homines, ipsos etiam  
Judæorum Primores attonuerat, ut jam magni ad Jordanem, Sacra-  
mentumque Baptismi concursus fierent, non sine honorificâ *Sacerdo-*  
*tum & Levitarum* ad Baptistam præconem legatione, Matth. III. I.  
2. 6. & seq. Joh. I. 19. seq. Quum nihilominus non deessent inter  
Judæorum Doctores & Procures, qui Baptismum illum Johannis,  
quodque sub hoc dabatur *Consilium DEI adversus semetipsos asper-*  
*nabantur* Luc. VII. 30. Nicodemus ὁ Ἄρχων, nec aspernari ipse ba-  
ptismum Johannis ausus, quia de Christo, quem prædicabat Johannes,  
ex admiratione signorum s. miraculorum honorificè jam tunc, etsi  
infra Majestatem æternæ Nativitatis, & unigeniti Filii Autoritatem  
sentiebat, & nullo Prophetarum minorem reputabat, nec tamen ap-  
pertè Christo nomen dare, quia sic satis tenuiter hætenus de Jesu,  
eodemque *promisso illo Messia à DEO Patre in mundum mittendo,*  
*& vero missionis illius sine, s. hominum, qui ex carne nati, caro sunt,*  
regeneratione ad regnum cælorum, informatus, in Religionis nego-  
tio nil temerè, præcipitanterque mutandum ratus, tutissimum repu-  
tauit ipsum DOMINUM Jesum, tunc occasione festi paschalis præsen-  
tem Hierosolymis, adire: & adiit quidem, sed quia metuebat ab al-  
liis collegis principibus Pharisæis, ne Assessor à supremi Synedrii & com-  
munionis Ecclesiasticæ excluderetur, & sic ἀποστάζωσθαι fieret (conf.  
Joh. IX. 22. c. XII. 42.) si diurnus consultor compareret, clancu-  
luna



lum, & noctu, ipse sub opacâ adhuc mysteriorum ignorantia, & sic  
 nocte positus, venit, & quod tunc in omnium animis & lingvis cir-  
 cumferebatur *καινόμενον*, de Baptismo, ejusque necessitate & effectu  
 proposuit, cui benignissimus Servator bis, sub duplicato, præmissioque  
 illo: *Amen, Amen, Dico tibi*, & effectum, fructumque salutem  
 baptismi, & necessitatem talis, qualis in baptismo, obtingebat,  
 regenerationis inculcavit, cum primo illo axiomate, *NISI quis ite-  
 rum* (& quidem *supernè ἐνεσθῆναι*, i. e. è cœlo, vel ex Deo, quod  
 & Chryostomus & Theophyl: in hunc locum notarunt, & cum  
 voci *ἀναθῆναι*, quæ plus dicit, quam *παλιν*, sc. è *supernis originem*,  
 conf. Joh. 19. 11. tum contextui & peculiariter v. 11. magis congruit)  
*genitus sit, non potest videre regnum Dei*, tum, postquam Nicodemus  
 non esset *τὸ ἀνω φρονῶν* s. illa, quæ superna sunt, sapiens, sed hu-  
 mi repens & carnalibus ratiocinationibus indulgens, *de regressu in  
 matris uterum* interpretatus, *καὶ γάλακτι* s. ridicula & delira illa loque-  
 retur, quæ habentur v. 4. altero illo pleniore, quo necessitatem ba-  
 ptismi Sacramentalis N. T. summè commendavit. *Nisi quis genitus  
 fuerit ex aquâ, & spiritu, non potest intrare in regnum Dei* v. 5. Ne-  
 que aliter, sive Nicodemo illuminato deinceps & majore *παρηγορία*,  
 dein, vel ad crucem Christi opere ipso Confessori, (conf. Joh. VII. 50  
 s. c. XIX. 39. sive Apostolis ipsâ praxi *se tenere hic mentem Christi*  
 confirmantibus vid. Actor. II. 3. 37. 38. c. XVI. 30. 31. 33. totique vene-  
 rabili sanctorum Patrum Choro ( qui de Baptismi Sacramento expli-  
 carunt ad unum omnes) intellecta sententia est, quin non solum *τὸ ἢ ἔν*  
 & negatio omnis justæ rationis à literâ hîc recedendi: sed & illud re-  
 ctè urgetur, quod *vox aquæ* conjuncta vocabulo *Spiritus*, semper ve-  
 ram & naturalem aquam designet, quodq; alibi dicatur Baptismus *λατρῶν  
 παλιγγενεσίας* s. *lavacrum regenerationis*, item *lavacrum aquæ*  
*in verbo* Ephes. V. 26. Tit. 3. 5. Licet enim Spiritus s. sit causa principalis,  
 & res cœlestis Baptismi, & effectus ille *παλιγγενεσίας*, ac *σῶσις*  
 qui obtinetur per Baptismum, non sit *ab aquâ*: sed à *Spiritu S.* (unde  
 & deinceps v. 6. & 8. non iterata aquæ, sed solius Spiritus sit men-  
 tio) in ipso tamen actu baptismali effectus ille non influit à *Spiritu S.*  
 nisi ut cum aqua admirabili modo conjuncto, ut non nisi violenta  
*επιβλήσῃ* & putida Tautologia reputanda sit illa Sociniano - Calvinia-  
 no-Grotiana, quæ & hîc & in parallelis locis tropos fingit, & illud  
*ἢ ἄρα δὲ*, ut *aqua & Spiritus*, prout alibi *Spiritus & ignis*, sit non  
 nisi



nisi Spiritus, sive aquæ, sive ignis, ut per  
 eam, per illum Spiritus emundans, ac si in omni Baptismo Spiritus, defu-  
 erit ignis, & Spiritus emundans, ad ipsam penetrans animam, & nos  
 mundans ab omnibus intimis & foedissimis animæ sordibus, non sit Spi-  
 ritus efficax, & Lavacrum aqve in verbo, Paulo nihil aliud sit, quàm verbum  
 mundans, quasi balneum. Hoc sanè est infra Nicodemum ridicula & de-  
 lira loqui. Quin sibi ipsi contradicit adversaria, de Baptismo hic agi contra  
 scopum asserens Salvatoris, cum hujus consilium fuerit adhortari ad  
 regenerationem, & vitæ novitatem, ac si baptismus aqve non sit La-  
 vacrum Regenerationis & Renovationis S. Spiritus. Item, quia  
 quæstio præcipua hic sit de introductione Nicodemi in regnum celo-  
 rum, ac si baptismus aqve non sit ordinarius, idemque organicum sa-  
 lutis medium & porta cœli. Atque fatetur pars adversa, ad regene-  
 rationem necessarium fuisse Nicodemo transitum ex statu Judaico in  
 Evangelicum per Baptismum. Sed redeamus ad S. S. Trinitatis  
 mysterium, quæ prout in Baptismo Christi & formulâ Baptismali  
 asserta jam est, ita in hoc quoque colloquio Salvatoris cum Nicodemo  
 de Regeneratione clarissimè remonstratur. Regeneratio quippe illa sa-  
 cramentalis æq; ac carnalis generatio genito initerabilis, quæ alibi *ἡ ζωὴ*  
*ἡνὶ ἑνὶ θεῷ* & sic tribus personis in commune adscribitur Jacob. I.  
 18. 1. Petr. I. 23. alibi *ἡ ζωὴ ἡνὶ πατρὶ* nunc Patri, 1. Petr. I. 3. nunc Filio Pf.  
 CX. 3. Ephes. V. 26. hoc loco disertè SPIRITUI S. vindicatur, ut sic in il-  
 lâ distincta Trinitate, ex ipsâ unitate operationis, naturæ divinæ o-  
 stendatur unitas. Remonstratur S. S. Trinitatis in mentione *eterni Dei*  
*Patris unigenitum Filium in mundum mittentis, & per Spiritum S. rege-*  
*nerantis*, v. 15. 16. Remonstratur Nicodemo rudi ignaroque Sacramen-  
 torum cœlestium, alterâ vice jam suum illud *πῶς* objicienti, s. *quomo-*  
*do possunt ista fieri* v. 4. 9. à Salvatore, ad obedientiam fidei & humi-  
 litatem in sublimibus cœli mysteriis, non carnalibus ratiocinationibus  
 mensurandis, illum revocante in v. 10. in illo mox addito, & vehementif-  
 simè, prout bis jam factum v. 3. & 5. asseverato axiomate. Amen,  
 Amen, dico TIBI: *Quod novimus, loquimur, & quod videmus, te-*  
*stamur & (tamen) testimonium nostrum nemo recipit.* Jejunum ni-  
 mis, quod sub tanto veritatis & autoritatis stereomate Servator pronun-  
 ciavit & de tantæ majestatis sacramento, illud ad proverbialem è triviis  
*petitam sententiam*, loquendive modum revocare. Suspectum ubique  
 de perfidiâ Judaicâ & Hæresi Socinianâ, velle loquutiones Dei vel Chri-  
 sti, per fictam *enallagen* numeri pluralivi pro singulari, ex illo ad,  
 B hunc



nunc revocare, & de solâ unâ personâ explicare, quam noxiâ adeo  
 mysteriis enallagen jam olim universo Scripturarum regno exauto-  
 ratam proscripsimus in Decadibus Mosaicis. Infra Majestatem Orato-  
 ris est, & præjudicium in locutionibus talibus Dei pluralivis, sive *Ang-  
 elos* sive *homines* Prophetas, vel Apostolos in communionem ipsi per-  
 sonæ divinæ adsciscere, ut sensus sit, quod (ego & Joh. Baptista, vel  
 Propheta & Apostoli) *novimus, loquimur & quod vidimus, testa-  
 mur.* Quod ergo Chrysostomus in hunc locum alternativè propo-  
 nit; *vel de Patre & se, vel de se tantum dicit, quod scimus, loquimur,*  
 priori parte probandum fuerit, & ex quinqvies expresso pluralivo nu-  
 mero, **NOVIMUS, LOQVIMUR, VIDIMUS, TESTAMUR,** te-  
 stimonium **NOSTRUM,** qui numerus semper plurium personarum est,  
 de sublimiori S. S. **TRINITATIS** Acroaterio, & illo cognitionis di-  
 vinæ & visionis comprehensivæ incomprehensibili modo archetypo,  
 intelligendum, quomodo Pater testis de Filio, *quod novit, & vidit,*  
*loquitur, & testatur,* quomodo de Filio, paulo post dicitur, *qui su-  
 perne (è caelo) venit, super omnes est, & QVOD VIDIT (superne  
 scil. in caelo) & audivit, hoc testatur:* sed *testimonium ejus nemo re-  
 cipit.* Joh. III. 31. 32. & Filius ipse: **EGO, quod VIDI apud PATREM**  
*meum, loquor,* Joh. IIX. 18. 38. & alibi, *Filium nemo novit, nisi Pa-  
 ter, nec Patrem quisquam, nisi Filius.* Matth. XI. v. 27. De Spiritu  
 S. pariter: *Spiritus S. non loquetur a semetipso, sed quæ audi-  
 erit, acceperitve sic à Patre, & à me, loquetur, & renuntiabit vobis.*  
 Joh. XVI. v. 13. 14. & alibi: *Spiritus omnia scrutatur, etiam profundi-  
 rates Dei. Ea quæ Dei sunt nemo novit, nisi Spiritus Dei.* I. Corinth. I. 10. 11.  
 ut adeo dubium nullum, quin de **PATRE, VERBO, & SPIRITU S.** tri-  
 bus illis testibus in caelo, illud, quod in sublimi illo S. S. Trinitatis con-  
 cilio de salute nostra decretum, loquentibus, & testantibus (ad quod  
 testimonium patris toties provocatum à Filio: *Pater, qui misit me testa-  
 tur de me;* Joh. V. 31. 37. c. IIX. 18.) intelligendum hoc Salvatoris dictum sit.  
 Et illa quæ in *Regula Baptismali,* ipsoque mysterio regenerationis obtinet  
 S. S. **TRINITATIS** professio, prout non minus obligat in formula *Profes-  
 sionis fidei, glorificationis, & invocationis,* ita & obtinuit olim in solemnii  
 illa conceptis verbis præscriptâ, publicâque ad populum *Sacerdotali*  
*benedictione,* mediante singulari ceremoniâ, & *terna expressione,* unius  
 ejusdemq; *essentialis, gloriosus,* propriiq; soli vero **DEO NOMINIS** distin-  
 ctè præstanda Num. VI. 24. 25. 26. Neque enim nisi principali illius my-  
 sterii respectu, *benedictionis actu* ibi ternarius, & in singulis expref-  
 sum datur in subjecto nomen יהוה, quin, prout *actus* illi votivi *singuli*  
peculi-




peculiari tmemate s. versu, & intercedente distinctivo argumentorum  
 caractere triplicato distincti: ita nomen illud sanctissimum in singulis  
 accentu quodam Rege distinctum, distincteque & considerandum & in  
 benedictione sicut, v. 24. 25. 26. pronunciandum, representatur, habi-  
 to respectu ad Triadem gloriosissimam personarum, nequaquam, con-  
 fundendarum: sed realiter distingvendarum, s. ad credendum cele-  
 brandumque sic TRINITATEM in unitate, & tamen, ne videretur ex  
 triplicato nomine divino essentiali induci *essentiali numero distincta*  
*Trinitas seu Tritheismus*, & sic præjudicatum illi Mosaico DOMINUS  
 יהוה *Deus noster, est יהוה UNUS* Deut. VI. 4. post ternam illam nomi-  
 nis יהוה in totidem benedictionum classibus iterationem, habito respec-  
 tu ad UNITATEM in Trinitate, in clausula hujus præcepti Sacerdo-  
 talis de benedicendo, non nisi *Unius singularis NOMINIS*, vel hujus *in sin-*  
*gulari*, & non obstante ternario actuum, Unius singularis, ab *Uno illo*  
*NOMINE*, & Numine, communi singulis personis autoritate, præstan-  
 da benedictionis sit mentio: *(tali formulâ benedicendo) ponent NOMEN*  
*meum super Filios Israël, & EGO benedicturus sum illis*. Militat quoque  
 pro illo Mysterio Trinitatis, qualitas prædicatorum in singulis classibus  
 benedictionis, sc. in primâ, *omnimoda, in spiritualibus præcipue, benedi-*  
*ctionis & finalis in tali benedictione spirituali confirmationis s. conser-*  
*vationis*, quæ, salvâ communionem, peculiari ratione, *prima persona* s.  
 Deo Patri adscribitur Eph. I. 3. 1. Corinth. I. 8. 9. c. X. 13. Phil. I. 3. 6. 1. Petr.  
 V. 10. 11. In secundâ *præsentie divinæ* gratiosæ, ac gloriosæ, ac vel *in as-*  
*pectabili Symbolo* (qualem prout tunc in Israelitarum castris præstabat  
*ANGELUS faciei DOMINI*, idemque Dominus, in splendida *nubis &*  
*ignis columana*, s. in *gloriosa fulgidâ, nube*, conf. Exod. XIV. 19. 24. c.  
 XXXII. 34. c. XXXIII. 14. 15. Num. IX. 15. 17. vel Deus insidens Cherubi-  
 nis Exod. XXV. 22. ita eminentiori modo præstiturus erat filius Dei in  
 assumenda carne vid. Joh. I. 14. 15. c. XIV. 9. 10. 11. 1. Tim. III. 16. 1. Joh. I.  
 12. 3.) *manifestationis*, & per illam *salutaris gratiæ largitionis & conte-*  
*stationis*, quod utrumque prædicatum, mediæ personæ, s. ipsius Filii Dei  
 יהוה *שׂוֹמֵר* character est, unde etiam formula, qua in scripturis V. T.  
 petitur, ut *Deus lucere faciat lucem suam supernos*, familiarissimè con-  
 jungitur cum *salvandi*, ve' *gratiæ quoque salutaris* vocabulo, prout Ps.  
 31. 17. Ps. 67. 2. & ter Ps. LXXX v. 4. 8. 20. in illo intercalari voto: *O Jehova*  
*Deus exercituum, fac ut luceat facies tua! Ita salvabimur*. Nec  
 obstat in eodem hymno Deum (Patrem) invocari *propter Filium* v. 15. 16.  
 & illum ipsum *Filium Mediatorem*, sub eodem nomine *Jehova Dei exer-*  
 cituum




ituum invocari v. 4. 8. 20. Porro in classe benedictionis tertiâ,  
 prædicatum est internæ motionis, per specialissimam illam *faciei divi-*  
*ne & luminis gratia ad nos levationem s. applicationem*, ex quâ lumen il-  
 lud *gratia* intimè admittatur, ejusdemque fructus vel effectus, PAX  
 sc. spiritualis, de qua Isaias c. XXXII. 17. Paulus Rom. V. 1. Phil. IV. 7. sequatur  
 quod volunt verba illa in S. S. hæc Triade novissima: *Dominus elevet ad*  
*Tefaciem suam, & apponat tibi pacem*: quæ specialissima motio & ap-  
 plicatio, quomodo in ipsâ regeneratione, admirabili & imperscruta-  
 bili modo SPIRITUS S. sit operatio, Salyator ipse & apertissimâ thesi  
 Joh. III. 5. 6. & applicato emblemate *Venti* v. 7. 8. remonstravit Nico-  
 demo, conf. quoque Rom. 8. 14. 15. c. XIV. 17. Act. VII. 51. ut adeo be-  
 neficiorum Israeli non nisi à *Trinuno Jehova* apprecandorum summa-  
 ria propositio detur in benedictionis hujus classe 1. eorumdem meritoria  
 impetratio & oblatio in 2. specialissima applicatio, ac per Spiritum S. obli-  
 gnatio (conf. Eph. IV. 30) in 3. Tacemus nunc explicationem terni in hæc  
 benedictione *Tetragrammati* vel *Schemhamphoras b*, prout vocant,  
 veterem Judaicam, primi de numeratione SAPIENTIÆ, *secundi de Nu-*  
*meratione Decoris, tertii de numeratione Intelligentiæ, qua sint 3.*  
*הוי"ו s. hypostases* vel פניו הפנימיים *s. facies intrinseca*  
*(שכינתא s. persona divina)*, in hujus solemnibus benedictionis pronun-  
 ciatione à Sacerdote benedicente, erectis, ad nomen יהוה, tribus digitis  
 signata, de quibus multa Raimundus in Pugione, & in eodem Joseph,  
 de Voisin, qui videantur p. 400. 543. 556. 557. Concludimus hæc, quæ sa-  
 cratissima Triadi in ejusdem solemnibus nunc dedicamus, voto Apostolico  
 personaliter ad Spiritum S. (ad quem preces nominaliter dirigi, ferre,  
 non potest hæresis Socini) cum aperta distinctione 3. personarum Deita-  
 tis, directo, ex 1. Thess. III. 12. *Faxit DOMINUS (S. SPIRITUS) ut magis ex-*  
*undentur inter vos charitate, & corda vestra inculpata stabiliat*  
*in sanctimonia coram Deo, & PATRE nostro, in Adventum DOMINI*  
*NOSTRI JESU CHRISTI cum omnibus sanctis suis!* & parallelo altero ex  
 II. Thess. III. 5. *DOMINUS (SPIRITUS S. idemque SPIRITUS DOMINI,*  
 conf. 2. Cor. III. 17.) *dirigat vestra corda ad Dei (PATRIS) charitatem, &*  
*CHRISTI patientem expectationem.* Atque hoc AGITE, Cives fulgidissimi, ut  
 vestra quoque cum semper, tum hæc tempestate inculpata & sine crimi-  
 ne corda sint. Ita cum illâ sacro-sancta Trinitate in hac vita, rectâ, ala-  
 criter & constanter ambulate, ne confundamini, ubi venturus est DO-  
 MINUS noster Jesus Christus, cum omnibus sanctis suis: sed, uti post  
 hanc vitam sitis BEATI, in hac estote SANCTI, certè inculpati  
 P. P. sub sigillo Rectoratus d. XXIX. Maij. A. M. DC. LXXXI.












peculiari memore s. versu, & intercedent  
 caractere triplicato distincti: ita nomen  
 accentu quodam Rege distinctum, distincte  
 benedictione sicut, v. 24. 25. 26. pronun-  
 cio respectu ad Triadem gloriosissimam pe-  
 fundendarum: sed realiter distingvendar  
 brandumque sic TRINITATEM in unitate  
 triplicato nomine divino essentiali induci  
*Trinitas seu Tritheismus*, & sic præjudica-  
 תריין Deus noster, est יידין UNUS Deut. V.  
 nis יידין in totidem benedictionum classifi-  
 ctu ad UNITATEM in Trinitate, in clausu-  
 talis de benedicendo, non nisi *in singula*  
*regulari*, & non obstante ternario actuum  
 NOMINE, & Numine, communi singulis  
 da benedictionis fit mentio: Et tali formulâ  
*meum super Filios Israel, & EGO benedictio*  
 pro illo Mysterio Trinitatis, qualitas præ-  
 benedictionis, sc. in primâ, *omnimode, in s-*  
*tionis, & finalis* in tali benedictione spiritu  
 vationis, quæ, salvâ communionem, peculi-  
 Deo Patri adscribitur Eph. I. 3. I. Corinth. I.  
 V. 10. II. In secundâ *presentie divina grati-*  
*stabilis Symbolo* (qualem prout tunc in  
 ANGELUS faciei DOMINI, idemque D.  
 ignis columana, s. in gloriosa fulgidâ, nu-  
 XXXII. 34. c. XXXIII. 14. 15. Num. IX. 15. I.  
 nis Exod. XXV. 22. ita eminentiori modo  
 assumenda carne vid. Joh. I. 14. 15. c. XIV.  
 I. 2, 3.) *manifestationis*, & per illam *salutar-*  
*stationis*, quod utrumque prædicatum, me-  
 תר סוף character est, unde etiam fi-  
 petitur, ut Deus lucere faciat lucem suam,  
 jungitur cum *salvandi*, ve' *gratie* quoque  
 31. 17. Ps. 67. 2. & ter Ps. LXXX v. 4. 8. 20. in i  
 Deus exercituum, *faciat luceat facies*  
 obstat in eodem hymno Deum (Patrem) in  
 & illum ipsum *Filium Mediatorem*, sub eo



argumentorum  
 num in singulis  
 erandum & in  
 entatur, habi-  
 quaquam, con-  
 dendum cele-  
 ne videretur ex  
 pero distincta  
 o DOMINUS  
 m illam nomi-  
 , habito respe-  
 cepti Sacerdo-  
 el hujus in sin-  
 aris, ab Uno illo  
 itate, præstan-  
 onent NOMEN  
 Militat quoque  
 gulis classibus  
 cipue, benedi-  
 onis s. confer-  
 ima persona s.  
 il. I. 3. 6. I. Petr.  
 e, ac vel in a-  
 stris præstabat  
 ndida nubis &  
 XIV. 19. 24. c.  
 dens Cherubi-  
 t filius Dei in  
 III. 16. I. Joh. I.  
 tionis & conte-  
 ipsius Filii Dei  
 scripturis V. T.  
 liarissime con-  
 bulo, prout Ps.  
 ototo: O Jehova  
 abimur. Nec  
 Filium v. 15. 16.  
 hova Dei exer-  
 cituum